



The Holy See

Beata Maria Virgo quae « Madonna del Pilerio dicitur quaeque in archidioecesi Cosentina-Bisinianensi colitur eiusdem sedis caelestis con-firmatur Patrona. IOANNES PAULUS PP. II Ad perpetuam rei memoriam. — Caelestis Matris bonitatis in fide-les et beneficentiae complura ubique exstiterunt testimonia. Nihil mirum igitur quod usque ad Eandem decurrent fideles suumque ani-mum patefaciunt, et Eiusdem se commendant tutelae. Libenter ergo aeque ac laetanter postulatis concedendum esse duximus Venerabilis Fratris Dini Trabalgini, Archiepiscopi Cosentini-Bisinianensis, qui iustis sane precibus expostulaverat, litteris die vi mensis superioris Februarii datis, ut Beata Maria Virgo, populari sermone a Madonna del Pilerio » vocitata, caelestis Patrona apud Deum archidioecesis con-firmaretur, ad normam a Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, pro corn-perto quoque habentes eodem fideles teneri studio. Itaque, its quidem probatis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum de hac re gessit olim a Nobis factis facul-tatibus, placet Beatam Mariam Virginem, cuius titulum supra memoravimus, caelestem Patronam esse et haberi, iuribus pariter additis ac privilegiis quae secundum Rubricas hunc honorem consequuntur. Contrariis rebus minime ob-sistentibus. Ipsam denique vehementer deprecamur caelestem Advocatam ut huius archidioecesis fidelium populum, marialis anni occasione erga Eandem renovato amore incensum, omnibus tueatur praesidiis omni-busque cumulet beneficiis. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Martii, anno Domini MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo. AUGUSTINUS card. CASAROLIA publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana
